PROCANCELLARIVS

HENRICVS PHILIPPVS CONRADVS HENKE

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR
MONASTERII AD S. MICHAELIS LAPIDEM ABBAS
LITERARVM SACRARVM PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS
SEMINARII THEOLOGICI DIRECTOR
ORDINIS THEOLOGORVM H. A. DECANVS

VIRVM
SVMME REVERENDVM ET DOCTISSIMVM
LVDOVICVM CHRISTOPHORVM SCHMAHLING
ECCLESIARVM ET SCHOLARVM PER DIOECESIN OSTERAVICENSEM
IN PROVINCIA HALBERSTADIENSI ANTISTITEM ET
PASTOREM PRIMARIVM OSTERAVICENSEM

DOCTOREM THEOLOGIAE

A. D. XXIV IVN. A. C. CIↃIↃCCLXXXXVIII

RITE CREATVM RENVNCIAT.

Illustratur simul Ioannes Apostolus, nonnullorum Iesu apophthegmatum in euangelio suo et ipse interpres.

HELMSTADII
LITERIS FLECKEISENIANIS.

Vni de quatuor illis dictorum factorumque Iesu memorabilium scriptoribus, Ioanni Apostolo, vt multa alia propria sunt, quibus, in summa licet rerum consensione et cognatione, tamen a reliquis multum sibi similioribus, distinguitur, et quae itaque peculiarem libri ab eo scripti genium et colorem conficiunt; ita etiam hoc, quod ipse solet, interiectis persaepe suis animaduersionibus, rebus a se relatis aut fidem aut lucem addere, legentes varia monere cognitu digna, ad ea, quae maioris momenti sunt, intendere, sinistra interpretamenta vel iudicia anteuertere. Duplex vero potissimum genus est harum animaduersionum. Alterum enim ad *res* pertinet, quas refert vel a Iesu gestas esse, vel ei accidisse, alterum ad *sermones*, quos ore magistri sui acceptos tradit. Prioris illa sunt generis, quae de natura et situ locorum, de ingenio et moribus temporis et hominum obseruat, vel quibus caussas aperit, propter quas Iesus laudem, adsensionem, auctoritatem vel magnam vel paruam et nullam ferebat, aut cur sic potissimum, non aliter, ageret, vel etiam quibus corrigit ante dicta, aut male forsan accepta a lectoribus, vel speciem veri maiorem addit narratis, aut ea confirmat. Atque talia quidem a ceteris historicis nostris prorsus aliena esse, nemo dixerit, qui vel Matthaeum, cur Iesus tantam haberet vim animos audientium commouendi, explicantem VII, 29. vel Marcum, de frequenti lotionum vsu apud Iudaeos dicentem VII, 2. 3. vel Lucam, tarda discipulorum Iesu ingenia notantem IV, 45. legerit. Attamen pauca sunt huius generis in tribus his euangeliis; longe plura

in vno Ioanneo; v. c. II, 17. 23-25. III, 24. IV, 2. (coll. III, 22. 26.) IV, 9. IV, 44. VII, 5. VIII, 27. IX, 23. X, 6. 22. XI, 49-52. XII, 5. 6. 16. 37-43. XIII, 3. 23-33. XVIII, 2. 9. 32. XIX, 35. XX, 9. quos locos omnes percenſere breuitatis cauſa abſtineo; euoluant ipſi, quibus tanti videtur, et cognoſcant, πραγματικωτερον aliquanto hiſtoricum eſſe Ioannem iſtis tribus, qui fere nuda quadam rerum, vt geſtae ſunt, narratione contenti et parum ſolliciti de regendo lectoris iudicio, neque cum ſtudio quodam vel ex conſilio certo et deſtinato, vt Ioannes certe, illas res memoriae mandaſſe videntur.

Sed grauioris momenti, et minus adhuc diligenter obſeruatum, itemque magis proprium Ioannis, eſt alterum notationis genus, quo ille *ſermonum* Ieſu quorumdam, a ſe ſuſceptorum, ac ſententiarum potiſſimum altioris indaginis, quae vel obſcuritatis, vel offenſionis aliquid, vel pondus magnum et omen habere videbantur, et ipſe quodam modo interpretem agit. De eo igitur nunc iam, hac praefationis nobis ad actum ſollemnem academicum ſcribendae data occaſione, paullo diligentius videamus.

Cap. VII, 37 ſq. ita loquentem Ieſum induxerat Ioannes: *Huc adeſto, qui ſitit; hic hauriat et bibat: quisquis mihi ſe tradit et firmiter adhaeret, ex illo, vt phraſi ſacrata vtar, vel flumina manabunt aquae limpidae et ſalutaris.* Hoc non audacter modo, ſed aenigmatice etiam, dictum, adiecta e veſtigio animaduerſione, ſcriptor ſic illuſtrat: *His verbis Ieſus excellentiorem illam animi dotem, et vim, et efficientiam innuebat, quam conſecuturi aliquando erant, vereque poſtea conſecuti ſunt, qui firmiter ei adhaerebant; tunc temporis enim, quo ſic loquebatur, nondum ſane ſublimius illud ingenium locum habebat, ſiquidem nondum Ieſus ipſe iuſtum debitumque ſibi honorem capeſſiuerat.* Quae explicatio et ipſa docta ac profundi ſenſus eſt. Hoc enim, dum recte interpretamur interpretem hunc, reſecto iam, eodem duce, figurarum ornatu, atque omni oratione ad propriam ſimplicitatem re-

uocata,

uocata, Ieſus dixerat; Qui meae ſe totum committit diſciplinae, is non ſolum ipſe vera ac ſalutifera imbuetur ſapientia, verum etiam ad alios multos ea imbuendos et copiam, et vim, et voluntatem ex hac mea diſciplina reportabit.

Verum et vnde ſumſerit Ieſus formam, vel veſtem quaſi illam, qua ſententiam tam facilem et planam condecoraſſe dicitur, itemque, quo iure Ioannes hanc ei ſententiae explicationem dederit, operae pretium eſt exponere. Ieſum iſtam ſententiam prolocutum eſſe, vel potius longiorem ſermonem, cuius haec ſententia caput et ſumma erat, die feſto tabernaculorum poſtremo, qui ſummae erat religionis, ſtantem in templo coram frequenti concione, habuiſſe, hiſtoricus aperte ſatis tradit. Ita enim: Ἐν δε τῃ ἐσχατῃ ἡμερᾳ τῃ μεγαλῃ της ἑορτης εἱστηκει ὁ Ιησȣς (ἐν τῳ ἱερῳ, quod partim ex adiuncta diei feſti mentione, partim ex verſ. 28. ἐκραξεν ἐν τῳ ἱερῳ, intelligendum videtur) και ἐκραξε (quod verbum et παῤῥησιαν dicentis et audientium frequentiam oſtendit) λεγων· ἐαν τις διψᾳ κ. τ. λ. Otioſam hanc eſſe temporis, loci et opportunitatis ad dicendum Ieſu datae commemorationem, vix putauerim; neque enim ſolet facile ſcriptor talia praeter cauſam notare. Porro quum Ieſus alias quidem, et apud Ioannem praecipue, ſermonum ſuorum inuolucra et ornatum petat plerumque a re praeſenti, vt c. IV, 10 ſqq. 34 ſqq. VI, 26 ſqq. IX, 39 ſqq. et aliis locis multis; hoc loco ſimiliter eum in his, quae de *ſiti*, de *hauſtu* et de *promanatione* aquarum dicebat, ad rem oculis audientium tunc vt maxime patentem, ad ſollemnem nimirum temporis huius feſti conſuetudinem reſpexiſſe, habet aliquam veri ſpeciem. Iam inter plures ritus, his Bacchanalibus Iudaeorum vſitatos referunt varias aquarum fontanarum profuſiones in templo, ad ſignificandum nouae ſegetis largiori pluuia irrigandae et fecundandae deſiderium *). Haec igitur ſpectacula ruentemque

*) Conf. *Lakemacheri* de ritibus quibusdam Bacchicis a Graecis ad Iudaeos recentiores deriuatis et ab his tabernaculorum feſto vſurpatis commentatio perdocta, in Obſeruatt. philolog. P. I. pag. 17.

que et acclamantem ad ifta populum quando ob oculos habuit Iefus, perquam fane opportune et grauiter nouam et generofiorem quamdam fitim, laetiores hauftus, fecundationes longe defiderabiliores commendauit auditoribus fuis, hosque, qui lubenti erectoque animo ipfius doctrinam exciperent, non tam fitienti homini, quam *agro*, comparauit, qui non modo imbibat ipfe imbrem, reficiatur, ac fertilis fiat, fed etiam riuos, adeoque copiofa flumina, late diffundat. Neque in oratione tam fplendida quemquam offendet, quod verbis διψαν et πινειν, more fere poetarum, de agro vtatur; nec difficultatis quidquam fupereft in voce κοιλιας, quae multos hoc loco varie follicitauit. Cogitandum enim de *ventre*, non amphorae, fed agri; ficut ἡ καρδια της γης Matth. XII, 40. et Ezech. XXVIII, 2. θαλασσης. Quod autem additur: καθως ειπεν ἡ γραφη, id non pertinet ad locum aliquem facri codicis fingularem, fed ad excufandam et emolliendam audaciam imaginum agri fitientis, bibentis, exundantis; his enim et fimilibus multis fcriptores Iudaeorum claffici non raro fuerant vfi, vt Pf. XXXVI, 9. 10. Ief. XLIV, 3. 4. Ioel. III, 23. al. Hanc igitur allegoriam, quam fine dubio Iefus magis diduxerat, multisque illis librorum facrorum locis exornauerat, Ioannes paucis tantum comprehendit fententiis, paucis item verbis explicat, et nunc iam, ifto tempore, quo fcribat, eam, in memoriam fibi reuocatam, plene tandem a fe intelligi fignificat. Atque hanc fuam explicationem fane non aliunde habet, quam ex magnorum, quae fucceffu temporis fecit Apoftolus in doctrina Chrifti perfpicue cognofcenda et grauiter commendanda incrementorum, nec tenuium de illa feliciter propaganda meritorum, quae fibi comparauerat, confcientia; obuerfati fimul funt animo fcribentis loci librorum facrorum nonnulli, quibus rectiori Dei cognitioni ea virtus et efficacia tribuitur ad animum, quae aquae eft, purgandi, recreandi, fecundandi. Vndique igitur, hanc apophthegmatis illius, a Iefu quondam follemni occafione pronunciati, interpretationem aptiffimam et auctore Apoftolo digniffimam effe, apparet.

Aliud huius generis animaduerſionum, ſermonibus Ieſu a Ioanne adſperſarum, exemplum occurrit cap. XII, 33. 34. Dixerat Ieſus: *de terra aliquando ſublatus, omnes ad me traham*, h. e. mihi adſciſcam et vindicabo. Addit ſcriptor: *Sic igitur innuebat*, obſcuriuſcule tunc iam ſignificabat, *mortis genus, quod ſubiturus erat.* Anceps erat verbi ὑψȣσϑαι ſenſus; poterat de alto honoris faſtigio aeque, ac de crucis ſupplicio, intelligi hoc: ὑψωϑησεται ὁ ὑιος τȣ ἀνϑρωπȣ. Atque alibi quidem, vbi Ieſum eodem verbo de futura ſua ſorte vtentem adducit Ioannes, in medio relinquit, vtro ſenſu voluerit ſumi. Sic omnino ambiguum eſt illud: *vt ſerpentem olim in ſublime erexit Moſes, ita Meſſiam oportet erigi*, Ioh. III, 14. itemque hoc: *Quando in altum euexeritis me, tunc demum intelligetis* cet. VIII, 28. Sed noſtro in loco diſerte monet ſcriptor, ominis omnino aliquid in iſta phraſi fuiſſe: ὑψωϑηναι ἐκ της γης, quae ſane paullo apertior eſt, quam nudum illud ὑψωϑηναι in duobus reliquis locis; Ieſum ita locutum, ac ſi animo praeuidiſſet, et verbis, etſi non omnino planis, (σημαινων) praedixiſſet ſibi idem illud fatum, cui poſtmodum ſuccubuerit; atque hunc eius ſermonem tunc iam intelligi ab audientibus potuiſſe non aliter, quam ſi haud diſſimulanter ac miſſis ambagibus dixiſſet: *quando ſublimis olim pendebo.* Neque tamen ſic mentem dicentis adſecutos eſſe omnes addit; interrogaſſe enim multos, quomodo hoc, quod ſibi praeſagierat Ieſus: ὑψωϑησεσϑαι ἐκ τη γης, tandem conſtaret cum legitima vitae a Meſſia in his terris aeternum agendae exſpectatione; cur demum *ex* terris, vel *ſuper* haſce terras, non *in* illis, erectum iri Meſſiam, dixiſſet; num alium ſe ipſum indicere vellet, alium Meſſiam, alium filium hominis. Verum in has quaeſtiones et argutias non deſcendiſſe Ieſum, ſed ad alias res orationem conuertiſſe, Ioannes narrat.

At memoratu digniſſima eſt illa huius generis obſeruatio, quam ſermoni cuidam grandiloquo magiſtri ſui idem ſcriptor, ad regendum legentis iudicium, adiecit cap. II, 19. Magna vi Ieſus et mirifico

fico ſucceſſu templo Hieroſolymitano exturbauerat, quidquid hominum ſordido quaeſtu religionem loci profanabat. Compellatur itaque a Iudaeorum proceribus quibusdam, (tales enim plerumque vocantur in hoc libro οἱ Ιȣδαιοι), quo demum iure tantam ſibi ſumeret auctoritatem et publicam quaſi reſtauratoris rerum ſacrarum prouinciam, atque quo ſigno, vel documento (σημειῳ) hanc ſibi tale quidquam audendi poteſtatem vindicaret, ni temerarii violentique facinoris accuſari vellet. Reſpondet Ieſus: *Deſtruite hoc templum, et intra triduum reſtituam.* Atque hoc reſponſum, ſiniſtre intellectum, vt abſurdum plane et vaniloquum, atque cum indignatione contemtum a Iudaeis, Ioannes iam hunc in modum explicat: *Haec ille*, non ſane de templo illo, operoſa et magnifica mole ſaxea, ſed *de corpore ſuo*, quod et ipſum iure ſuo vocare *templum* poterat; *quum itaque* poſt, ſupplicio traditus, *in vitam rediiſſet, recordabantur diſcipuli effati* iſtius, magno pleni omine, eoque magis *et oraculis* de illo *perſcriptis*, magnam partem aeque obſcuris et aenigmaticis, *et ſermonibus ab ipſo prolatis, fidem habebant.*

Duram omnino hanc eſſe et e longinquo arceſſitam aenigmatis illius ἐπιλυσιν, ſenſiſſe videntur omnes, et ſaepe, quamquam inuiti, fateri coacti ſunt interpretes; nec ſatis eſt, ad illam probandam, admonere, corpus humanum ſaepe domicilium et pro re nata, vel carcerem, vel templum dici, huius tropi vſum peruulgatum plurimis Iudaeorum Graecorumque ſcriptorum auctoritatibus firmari poſſe, atque igitur maiori iure, quam quo Paullus interdum ſancti caſtique hominis corpus ναον τȣ ἁγιȣ πνευματος nominet, Ieſum hoc loco ſuum corpus ναον τȣ θεȣ vocaſſe. Nam niſi ſaltem δεικτικως Ieſus iſthaec verba: λυσατε τον ναον τȣτον, dixerat, digitoque exſerto ſuum ipſe corpus monſtrauerat, nec tunc voluit, nec poſtea vmquam potuit ſic intelligi; atqui nec tunc tali geſtu illum haec pronunciaſſe, ſcripſit Ioannes, nec ſane verbis, quae addit: ἐμνησθησαν οἱ μαθηται αὐτȣ (τȣ λογȣ τȣτȣ) hoc ſolum indicare potuit, diſcipu-

ſcipulos, in vitam reſtituto Chriſto, tunc demum recordatos eſſe rei tam paruae, huius nimirum geſtus, iſto tempore, quo verba haec elocutus erat, ſibi non obſeruati. E contrario lucem ex poſt factis transtulit in prius dicta, atque, ni Ieſus in vitam rediiſſet, plane, quid ſibi voluiſſet iſto ſuo aenigmate, vel quorſum illud pertineat, exputari numquam potuiſſe, ſatis clare ſignificauit. Acquieſcendum igitur hoc interprete, et eius auctoritate nitendum eſſe, fatentur tandem omnes, qui et ipſi nodum illum non ſatis apte ſolutum agnoſcunt. Hinc et multis aliis modis eam interpretationem tueri et ornare ſtudent. Sic λυσατε illud, monent, ſtilo prophetico vocem eſſe non tam imperantis, quam praedicentis ea, quae certo futura ſint, atque ſenſum igitur totius ſententiae, quem ipſe Ioannes ei dederit, eſſe hunc: Vos aliquando templum hocce auguguſtum, corpus meum, deſtruetis; nec veto facinus; hoc enim patrato, illuſtriſſimo, quod vmquam editum eſt, documento meam vobis poteſtatem legatique coeleſtis prouinciam firmabo: intra trium dierum ſpatium reuiuiſcam, ac denuo ſic aedes haec Dei, meum ſcilicet hocce corpus, mea vi exſurget et ſtabit. Quae quidem interpretatio ſi non eſt calumnia, neſcio quid ſit. Neque illam comparare licet cum loco Matth. XII, 39. 40. vbi ſignum aliquod, vel prodigium, a ſe edendum, ſimile futurum prodigio Ionae, promittit Ieſus, idque de ſuo in vitam reditu explicat. Alia enim plane res eſt, vt patet; apud Matthaeum ipſe Ieſus verborum ſuorum interpres, apud Ioannem Ioannes; ne reliqua tangam, quibus alter ab altero locus toto coelo differt.

Enimuero quid vetet ſuſpicari, Ioannem ipſum veram ſententiae illius vim deſtinatumque magiſtri ſui conſilium non bene adſecutum eſſe, dum expeditiorem viam, qua mentem dicti huius penetrare poſſimus, aperire nobis datum eſt? Nec grauiorem putauerim eſſe criminationem παροραματος, erroris in explicando dicto quodam negligentia vel obliuione admiſſi, quam calumniae cum ſtudio

adhibitae, cuius hi, qui multis probare et excuſare ſtudent iſtam interpretationem Ioanneam, auctorem eius, tecte licet, nihilo minus inſimulant. Nec tamen, quidquid agunt, omnibus iſtis mitigationibus ac μαλαγμασιν efficient hoc, vt ab illa criminatione abſoluant Ioannem, qui citra gratiam iudicant. Hi vero, ſi nefas eſt, Apoſtolum erroris, eiusque leuioris, in explicanda ſententia illa Chriſti, arguere, malent verſiculos iſtos, quibus hanc ſententiam hodie in euangelio Ioannis explicatam legimus, pro ſuppoſititiis et pro gloſſemate hominis male ſeduli reputare, (cui tamen ſuſpicioni nihil quidquam, praeter offenſionem, quam habet argumentum loci, anſam praeberet) quam exiſtimare, Ioannem cogitata magiſtri ſui, verumque verborum, quibus hic vſus fuerat, ſenſum, et quem aut tunc ab audientibus inimicis, aut in poſterum ab amicis ſuis volebat intellectum, exhauſiſſe, eique, tamquam Apoſtolo, licet coacte illepideque prorſus interpretanti, adſentiendum eſſe.

Igitur quidnam Ieſus in illo: Λυσατε τον ναον τουτον cet. cogitarit, ſane, ni ſcriptor hiſtoricus interpretamentum ſuum ſubieciſſet, haud quidem id plane obuium et planum, nec vero etiam tam reconditum eſſe putauerim, vt Oedipo coniectore opus ſit. Primum igitur illis verbis ſuperbum aliquid, et παραδοξον, quod aduertat audientes, de ſe dicere ac promittere voluiſſe Ieſum, luculenter apparet; id enim non ſolum occaſio dicendi ferebat, quum prouocatus et laceſſitus eſſet ab inuidis obtrectatoribus ad rationem adſertae ſibi tantae auctoritatis reddendam, ſed ipſa verba etiam oſtendunt, quae ſublimem ſpirant ad magnas res gerendas animum. Deinde vero *templum,* quod Ieſus magnifico hoc ſermone illis hominibus aut mandat aut permittit, vt demoliantur, nullum facile aliud poterit intelligi, quam proprium illud, Hieroſolymitanum; de eo enim nunc ſermo erat, in honorem ſuum, exturbatis mercatoribus et numulariis, per Ieſum reſtituto. Porro vero templum, quod intra triduum ponere recipit, non iam idem illud, nec tantae molis, vel omnino

vt

vt veri nominis templum, cogitari poteſt, dum nolimus illum emotae mentis deliria effutiiſſe, vel humili quadam proteruia Iudaeos exagitaſſe. Interim quando verus ac ſummus adeo templi honor non eſt in opere ac ſtructura, ſed in finis conſiliique ſanctitate, vt ſit Numinis cultui ſacrum et aptum, ſane etiam omne opus vel inſtitutum, huic fini impetrando vel aeque vel magis accommodatum, cum templo comparari, vel improprie templum vocari poteſt; quum e contrario, vt vel eadem, vel plane ſimili occaſione dixerat Ieſus, templum vel ſplendidiſſimum, in omnes alios conuerſum vſus, v. c. a nundinatoribus occupatum ac temeratum, non amplius οἰκος Θεȣ, οἰκος προσευχης, ſed σπηλαιον ληςων dici mereatur. Matth. XXI, 13. Accreſcit vel hinc iam promiſſo templi, quando euerſum fuerit, reſtituendi lux aliqua, ab exprobatione ſcilicet praui neglectus et abuſus, cuius in templum ſuum templique honorem reos Iudaeos facit Ieſus. Dum tantopere, inquit, dehoneſtatis aedem veſtram ſacram, vel certe patienter ſuſtinetis tantum dedecus, potius euertite totam; quidquid enim ſupereſt hic vere congruum, et quidquid cauſae, propter quam exſtructum eſt templum, conueniens hic adhuc peragi video, ei profecto ſuffecturum erat aedificium triduo facile abſoluendum, cui vel ipſe operam impenſamque meam praeberem.

Verum paullo latentiorem omnino et abundantiorem ſenſum aliquem verbis iſtis ineſſe, defendo, quem tamen vt exhauriamus, non nihil adiuuat obiurgatio haec Iudaeis, Iudaeorumque proceribus maxime, a Ieſu facta, totiusque narrationis et diſputationis huius cohaerentia. Addamus vero alium quemdam ſermonem Domini, Matth. XII, 6. 7. vbi is diſcipulos, violatae ſabbati religionis accuſatos, cum aliis argumentis, tum hoc etiam, defendit, quod ipſa lex Iudaica non iubeat ſabbato, quidquid eſt laboris, intermittere, ſed multum adeo fieri; ſacerdotibus enim in templo ſabbati etiam diebus iugulandas pecudes, lignorum ſtruem congerendam, in-

 cenden-

cendendam, lanienam aliquam, coriariam, coquinariam, aliasque ſordidas operas agendas. Quas ne quis probet hoc nomine, quod ad vſum templi fiant; ſi tanta, inquit, vobis templi ſanctitas eſt, vt, qui ei inſerviunt, ſoluat eos legis, quam vobis eſſe ſanctiſſimam audio, vinculo: ſcitote, ὁτι τȣ ἱερȣ μειζων ἐϛιν ὡδε. Quod ſiue de ſua perſona, ſiue (ſecundum lectionem codicum quorundam μειζον et aliorum πλειον) de negotii ſui ac muneris grauitate; de ſcholae huius ſuae rerumque in illa pertractandarum dignitate, dictum voluerit, res vtique eodem redit. Non aliam, ſtatim addit, iudice antiquo vate, victimam Deo gratiorem eſſe, quam bene mereri de aliis: ἐλεον θελω, και ȣ θυσιαν. Atqui harum ſententiarum Ieſu, planiori ſermone perſcriptarum, beneficio dictum, de quo agimus, obſcurius illud apud Ioannem, illuſtrari commode poteſt, vt haec eius mens fuiſſe videatur, quamquam tectius et prudentius a Ieſu expreſſa: diruite veſtrum hoc templum, vtinamque iam ſublatum eſſet hoc probrum et melioris diſciplinae obſtaculum! triduanum opus erit mihi, nouum, immo ſanctius aliquanto, reponere. Dignam profecto Chriſto ſententiam, et perſimilem ſermoni, quo mulierem Samaritanam edocet: iam adeſſe tempus, quo, neque in monte Garizim neque Hieroſolymis, homines, qui vere Deum colant, vt communem vniuerſi generis humani patrem, non amplius vt populorum aliquem praeſidem tutelarem, adoraturi ſint; falſa eſſe et vana omnia haec ſacra, quae ſummum Numen, vbique praeſentiſſimum, parietibus quaſi includant; nullum eſſe terrarum angulum, quouis alio loco, celeberrimo quamquam, ſacratiorem; vbicumque terrarum iam nunc Deum ab hominibus coli velle, idque mente, non corpore, et vere ſolideque, non per vmbras et ludibria puerilia, animo et bene edocto intelligentique, et puro rectique cupido, ἐν πνευματι και ἀληθεια. Ioh. IV, 21 ſqq. *) Hic locus inſtar commentarii eſſe

*) Omnes, vt obiter hoc addam, quos vidi, interpretes verſum 22. ita explicant, vt Ieſus inter Samaritanos et Iudaeos arbitrum diſſidii agere videa-

eſſe poteſt ad apophthegma noſtrum; vel propterea, quod, quid ſit illud ἐν τρισιν ἡμεραις, hunc in modum deſcribit: ἐρχεται ὡρα, και νυν ἐστιν, Ioh. IV, 23. vt igitur vtriusque loci eadem haec ſit ſententia: ſperandum, fidenterque contendendum, vt breuiſſimo tempore nullo amplius templo tali, talique apparatu, ad legitime venerandum Deum opus ſit. Quamquam et alibi *triduum* haud numerum dierum certum, ſed perbreue interuallum indicat; quod etſi ſexcentis e ſacro codice exemplis probari poterat, quae in concordantiis, quas vocant, congeſta ſunt, vno tamen, in primis idoneo, quod Luc. XIII, 32. occurrit, ſatis eſt.

Vix indigemus pluribus aliis N. T. locis, qui vel eamdem, vel cognatam tamen, aut eodem de fonte ductam ſententiam exhibeant. Interim conferant, quibus placet, orationem et Stephani protomartyris, Act. VII. et Paulli illam Athenienſem, Act. XVII. vtramque ſcilicet ex ingenio communis horum virorum doctoris Ieſu id agentem, vt religionem templorum nullam eſſe, nec Dei, nec hominis natura dignam, ac tandem abrogandam, commonſtret. Pertinet huc etiam in Paullinis epiſtolis obuia ſaepe varieque exornata et amplificata eccleſiae a Chriſto conditae cum aede magna, Deo ſacrata Deique Numine plena, bene compoſita, vsque nouum et

videatur: Vos, Samaritani, colitis, quem haud nouiſtis; nos autem, Iudaei, quem nouimus; nam e Iudaeis Meſſias vel ſoter prodibit. Quae ſententia nec per ſe clara, nec ſatis congrua conſilio et nexui orationis huius videtur. Malim itaque illud ὑμεις ad *Samaritanos* et *Iudaeos* ſimul, ad vtramque diſſentientium a ſe inuicem gentium vel ſectarum partem, ἡμεις ad ipſum dicentem, Ieſum ac diſcipulos, referre, (cf. Io. III, 11.) ſiue ad illos omnes, quos paullo poſt ἀληθινους προσκυνητας vocat: Vtrimque vos erratis; neutri adhuc, quamdiu talia quidem diſputatis, recte cognoſtis Deum; meae hoc prouinciae res eſt, iuſtam ſtabilire Dei notitiam, et multi iam ſunt praeter me, qui eam teneant: ὁτι ἡ σωτηρια ἐξ Ιουδαιων, *nam* e Iudaeis omnino proditura erat ſalus, vel ſalutifera rerum conuerſio.

et amplitudinis et splendoris augmentum captura, comparatio, vt 1 Cor. III, 16 sqq. 2 Cor. VI, 16. Eph. II, 20 sqq. IV, 16. itemque Petri etiam 1 Ep. II, 5. hortatio, vna cum variis, quas apocalypsis ostendit, picturis, vt III, 12. XXI, 22. al. Haec dicta ex eodem omnia genere sunt et argumento cum illo Christi: λυσατε κ. τ. λ. nisi quod hoc et praecisius multo et audacius erat, et, quo adverteret ac stupefaceret audientes, eorumque acueret et excitaret meditandi sollertiam, esse volebat. Et sine dubio haec sententiosa et Laconica breuitas, qua dictum hocce prope ad oraculorum obscuritatem accedit, fecit sine dubio, vt Ioannes adeo, nudum illud dictum, vti prolatum erat a magistro, fida memoria tenens, ac de illius vera mente exploranda sollicitus, falleretur eamque demum glorioso rerum a Iesu gestarum euentu patefactam crederet. Neque multum abest a vero, istud apophthegma amicis pariter atque inimicis Iesu, dum viueret, saepe commemoratum vtrimque ac disputatum esse, quid sibi vellet, quoniam illud in iudiciali quaestione, qua Iesum persequebantur maleuoli, etsi corruptum ac sibi dissimile factum, inter iniurias et crimina recensebatur, quibus populi honorem, legis ac religionis patriae maiestatem adfecisset, Matth. XXVI, 61. atque de cruce pendenti adhuc exprobrabatur, Matth. XXVII, 40. Marc. XV, 29. Prior ille Marci locus tali tenore recenset memorabile hoc dictum, vt proxime accedat ad nostram verborum Christi apud Ioannem explicationem; nam τον ναον τον χειροποιητον Iesus destructurum, et αχειροποιητον erecturum se esse, gloriatus fuisse dicitur.

Sed quid si ipse Ioannes verba magistri eodem sensu cepisset et reddidisset? Το σωμα Χριϛȣ saltem a Paullo saepe *ecclesia Christi* vocatur, Rom. II, 5. 1 Cor. X, 16. XII, 13. 27. Eph. I, 23. II, 26. IV, 12. 16. V, 30. Col. I, 28. II, 19. itemque ille in dicendis huius ecclesiae laudibus similia, partim a templo, partim a corpore humano, apte delecta, petit et inter se commiscet nonnumquam, locis

locis potiſſimum ex epiſtola ad Epheſios memoratis. Forſan igitur Ioannes illud ſuum: *haec Ieſus de templo, corpore ſuo*, vel *de ſui corporis templo*, accipi voluit de noua cultorum Dei ſocietate, breui tempore congreganda. Et, quod addit: *quum in vitam reſtitutus fuiſſet* Ieſus, demum huius dicti vim ſenſiſſe Apoſtolos, hoc non tam de ipſo *facto* reſurrectionis, quam de *tempore poſt factum*, de noua illa notitiarum rectiorum et felicioris rerum a Ieſu ſuſceptarum euentus periodo, interpretari liceat, vt plane idem ſit illud: ὅτε ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, quod alibi apud eumdem ſcriptorem: ὅτε ἐδοξάσθη, c. VII, 39. XII, 16. Hac itaque ratione inita ſcriptorem diuinum ab erroris culpa liberari, atque, vt nobiscum, ita ſecum ipſum, commode reconciliari, et animaduerſionis, qua ſententiam iſtam illuſtrare ſtuduit, ambiguitatem orationis, qua hoc loco vtitur, breuitate excuſari poſſe putauerim.

Eſt autem omnis haec tales noſtri ſcriptoris animaduerſiones (quales et aliae quaedam occurrunt, breuitatis cauſa praetereundae nunc a me, vt cap. V, 6. 64. 70. 71. XIII, 1-3. 11. XXI, 18. 19. 22. 23.) recognoſcendi opera profecto non plane inanis. Legimus enim hic ſine dubio aliquem de proximis Ieſu diſcipulis, ἀπ' ἀρχῆς αὐτοπταις και ὑπηρεταις τȣ λογȣ, quippe qui praeſentem adhuc, dum ſcriberet, ac viuum ſenſum dictorum factorumque magiſtri ſui retinuiſſe videtur, dum in ſcenam quaſi eorum ſecum adducit legentes, et, quae ibi videant audiantque, monitis quibusdam ſuis proſequi et illuſtrare ſtudet. Et genuinas etiam eſſe fideliterque recenſitas has orationes, quas doctori huic ſuo tribuit ſcriptor, cuidam indicio ſunt eadem haec monita; quidni enim in orationes hasce eum ipſum ſenſum, quem verbis eius ineſſe monet, eamque ipſam lucem, quam obſcurius dictis accendit, ſtatim intuliſſet, ac Ieſum ipſum ita, vt nunc intellectum vult, ſtatim induxiſſet loquentem, niſi magna cum religione illas verſaſſet ac tales reddidiſſet, quales a Ieſu dictas per multorum adhuc hominum ora volitare

comper-

compertum habebat? Et quamquam in his animaduerſionibus forſan ſemel humani aliquid paſſus fuerit, vt non feriret deſtinatum, quod malim in loco cap. II, 17. adhuc largiri, quam contortae illi explicationi, ante tentatae, patrocinari; tamen in eo vel hoc magis laudandus eſt, hocque luculentius fidem ſuam hiſtoricam nobis probauit, quod Ieſum non ea ipſa, quae innuiſſe eum putet, dicentem, ſed obſcura intellectuque difficilia verba proferentem ſiſtat. Cur enim quaeſo, niſi religioni ſibi duceret hiſtoricus, adulterare ſermones domini, ſic verbi cauſa loqui illum iuſſiſſe: Huic auctoritati, quam adſertam volo mihi, fidem ego adſtruam documento quodam certiſſimo: vos necabitis me; ego mortis vincula diſſoluam?

Sed quantum ex hac ſollicitae fidei, quam Ioannes in reddendis, et curae, quam in explicandis nonnumquam ſermonibus Ieſu obſeruat, laude auctoritatis accedit euangelio eius, tantum fere decedit reliquis tribus. Illum vnum vndique cognoſcimus teſtem fuiſſe vitae Ieſu, *αὐτοπτην* ſcilicet. Primum enim ipſe talem ſemet nunciat; cap. I, 14. *ἐθεασαμεθα την δοξαν αὐτȣ·* c. XIX, 35. *ὁ ἑωρακως μεμαρτυρηκε·* c. XXI, 24. *ȣ̓τος ἐςιν ὁ μαθητης, ὁ μαρτυρων περι ταυτα και γραψας ταυτα·* 1 ep. I, 1. 3. *ὁ ἀκηκοαμεν, ὁ ἑωρακαμεν τοις ὀφθαλμοις — ἀπαγγελλομεν ὑμιν·* Deinde interdum commemorat aliquem Ieſu diſcipulum, praeceptori ſuo in primis carum, et ſe quidem hunc eſſe, non ſine gaudio quodam et gloriae ſtudio prodit, nomen tamen ſuum verecunde ſupprimit, c. XIII, 23. XVIII, 15. XIX, 26. XX, 2. XXI, 20. Denique etiam eius generis notatione varia, qua, vt vidimus, dicta factaque Ieſu explicat, vel inſcius confirmat iſtam de ſe opinionem. Atqui talia omnia fruſtra quaeras in reliquis euangeliis, quae, vel magna ſua inter ſe ſimilitudine, riuulorum, communi quodam de fonte deductorum, ſpeciem prae ſe ferunt, et quorum vnius adeo auctor in exordio alieniſſimum hoc a ſe eſſe dicit, vt oculatum rerum enarrandarum omnium teſtem ſemet glorietur. Horum igitur trium fides absque dubio

dubio ad folius Ioannis hiſtoriam exigenda eſt, in illis certe, quae communia cum illo memoriae mandarunt. Quando igitur Ieſum v. c. legimus apud Ioannem de futuro bello Iudaico, de Iuda proditore, de imminenti ſibi ſupplicio, de ſuo in vitam reditu, et de aliis eius generis euentis, non niſi latenter, ἀινιγματικως, per indicia quaedam obſcura, et eo ipſo, quo loquebatur tempore, vix cuiquam, attento licet ac docili, plane intellecta, vaticinatum eſſe, e contrario Matthaeum, Marcum et Lucam reperimus Ieſum haec omnia tam perſpicue praedicentem induxiſſe, vt vix poſſent auditores, niſi ſurdi prorſus, lenti ac torpentes homines, aberrare; vtique non iniqua ſuſpicio eſt, illos lucem, ipſo rerum euentu ſibi oblatam, in iſthaec praeſagia Ieſu retrorſum tuliſſe, vel eam formam eumque habitum vaticiniis Ieſu circumdediſſe, vt euentus illis per omnia reſpondiſſe videretur. Hinc igitur in eo differt etiam vel maxime duplex haec hiſtoricorum claſſis, vt in referendis multis Ieſu ſermonibus tres illi priores ipſo facto, et inconfeſſi, interpretum officio fungantur, et quo pertineant hi ſermones, doceant, Ioannes vero magis accuratum hiſtoricum ſe gerat, nec ſuam Ieſu ſermonibus explicationem inſerat, ſed ſubiiciat. Quem vero vſum haec obſeruatio in examinanda ſeuerius penſandaque hiſtoriae euangelicae veritate habeat, lectorum iudiciis nunc iam relinquimus.

Vrget enim, quam haec praefandi habuimus, opportunitas, vt peroremus. Quinquaginta ſunt anni, ex quo publicam religionis Chriſtianae docendae prouinciam in eccleſia noſtra ſuſcepit, ſummaque fide, praeclaro fructu, magnaque cum omnium bonorum laude ſuſtinuit vir ſumme reuerendus ac doctiſſimus, *Ludouicus Chriſtophorus Schmahling*, eccleſiarum et ſcholarum per dioeceſin Oſterauicenſem, in vicinitate noſtra ſitam, Inſpector, et ciuitatis, a qua nomen illa habet, Paſtor primarius. Teſtificaturus igitur, quantopere vel adhuc honoraret literas theologicas, quas numquam non ſummo ſtudio et coluit et protulit, et quanti antiqua bene de illis meritorum decora aeſtimaret, ſuae ſibi dignitatis, vt decet ſenem, bene

quidem

quidem confcius, modefte tamen, optauit, vt in ipfis, quae die XXVII. Iun. rite celebrabuntur, follemnibus femifecularibus fuis, *Doctoris theologiae* honoribus a noftro Ordine condecoraretur. Quod quidem optatum quum aequum iuftumque non minus, quam honeftum et commendabile, iudicaret Ordo nofter; lubenti animo fatisfecit, fatisque cognitam, fcriptis etiam bonae frugis pleniffimis comprobatam viri fcientiam, veri explorandi follertiam, indefeffam ecclefiaftici muneris, rara felicitate per integram annorum femicenturiam egregie gefti, porro ornandi voluntatem, et, quam primo loco nominari oportebat, fidem pietatemque integerrimam et haud fucatam, ifthoc honoris praemio adficere decreuit, quo numquam nifi optime meritos adficere folebat. Atque hoc igitur more maiorum et rite actum effe, publica Ordinis mei auctoritate renuncio et confirmo, omnesque, qui nobis bene cupiunt, vt nobiscum venerabili feni, nobis, vt antea iam nominibus multis caro, ita nunc noua coniuncto copula, vegetarum virium, quibus adhuc floret et gaudet, diuturnitatem, laborum, quos adhuc fuftinet, grauiffimorum euentus profperos, et laetiffima quaeque praemia, apprecentur, ex animi fententia impenfe rogatos volo. Adiunximus denique, pro confuetudine noftra, breuem de vitae hucusque ab illo actae ratione commentariolum, qualem ipfe, vna cum differtatione fua inaugurali, quae *ad Chriftianae difciplinae de precandi officio praeceptum obferuata quaedam, potiffimum practica*, continet, a fe perfcriptum, Ordini noftro exhibuit. P. P. Helmftadii a. d. XXV. Iun. CIↃIↃCCLXXXXVIII.

Natus

Natus ego ſum die X. Ianuarii anni MDCCXXV Kehrnſtadii, pago Comitatus Hohenſteinienſis, patre Ioanne Ottone Schmahlingio, eccleſiae huius loci paſtore, et matre Anna Eliſabetha, e gente Schubartia. Cura tam patris, quam domeſticorum praeceptorum, primis humaniorum ſtudiorum rudimentis imbutus, adoleſcens adhuc, Nordhuſam miſſus, ibique inter alumnos gymnaſii receptus, magiſtro potiſſimum, in vetuſtis linguis addiſcendis et in omni reliqua literatura ſcholaſtica, vſus ſum *Ioanne Euſtachio Goldhagenio*, Conrectore tunc gymnaſii, poſt Magdeburgenſis ſcholae cathedralis Rectore, qui variorum antiquae Graeciae ſcriptorum facta in patrium ſermonem translatione famam ſibi aliquam inter eruditos conciliauit, de me vero tam egregie meritus eſt, vt ei vel ſoli meum in bonas literas amorem, excitatumque in animo meo recti, in moribus honeſti, ſtudium debeam, eique gratias habeam immortales. Praeparandus a patre ad primam ſacrae coenae fruitionem, et ſeueriori religionis ac pietatis diſciplina confirmandus, domi aliquamdiu moratus, in ſcholam redii, atque in illa vsque ad annum aetatis decimum ſextum perſtiti. Ab illo enim tempore priusquam academiam ſalutarem, patri placuit domum reuocare me, meumque ingenium varia ſcriptorum claſſicorum Latinorum, Graecorum et Gallicanorum lectione magis adhuc exercitare. Elapſo ſemeſtri Halam conceſſi, et praeceptoribus vſus ſum *Baumgartenio* potiſſimum in omni diſciplina theologica, qui et hoſpitio ſuo me excepit, *Michaële* in linguis ſanctioribus, *Chr. Wolfio* et *Meyero* in Philoſophia et Matheſi, *Krügero* in Phyſica.

Redux poſt annorum duorum et dimidii ſpatium ex academia, mox officium ſuſcepi Rectoris ſcholae in oppidulo Benckenſteinienſi, patriae ditionis. Ibidem pater ſacris tunc praeerat, ſuaque ſcientia atque experientia, ſuo etiam conſilio et exemplo, ad miniſterii eccleſiaſtici munia feliciter gerenda ita me conformabat, vt, quidquid in me eſt facultatis huius, id illi potiſſimum attribuam, atque hoc etiam nomine cineres eius aeternum deuenerari debeam.

Atque ad exercitandam hanc facultatem anno iam MDCCXLVIII. aetatis meae XXIII, benigna mihi occaſio data eſt, quando nimirum eccleſiarum Wulfingerodae et Ascherodae, in eodem territorio Hohenſteinienſi, curam iuuenili alacritate ſuſcepiſſem. Praecipue mihi curae cordique erant ſcholae ruſticae, quarum inſignes morbos animaduertere, ſanare atque totum negotium ad ſaniorem normam inſtituere ſtudui. Et quamquam victus cultus-

que

que mihi parandus erat ex agricultura, cui et diligentem operam dedi, literarum tamen ſtudia, quae a prima iuuentute in deliciis habueram, numquam neglexi, atque otia mea, a muneris officiis vacua, inter familiaris rei et eruditae copiae curam partitus fui. Prodibant iſto tempore ab anno ſaeculi huius LI. Gothae, ſumtibus Meuii bibliopolae: *Beyträge zur Vertheidigung der praktiſchen Religion Ieſu wider die Einwürfe unſrer Zeit*, opus per annos aliquot diuiſim continuatum. In eo commodum videbatur, meis quibusdam ſymbolis prima facere ſcribendi, vel ſcripta potius cum eruditis communicandi pericula. Sed graſſante mox bello ſeptenni miſere vexatus, eoque finito multis aliis domeſticis malis ad ſummam rerum inopiam redactus, meliorem fortunam circumſpicere coepi. Nam et vxorem iam duxeram, ſtatim poſt muneris eccleſiaſtici aditum, Sophiam Eliſabetham, *Joannis Friderici Leſſeri*, quondam in ciuitate Nordhuſana Paſtoris et clariſſimi naturae indagatoris, filiam, et liberos quosdam ex hoc matrimonio ſuſceperam. Horum itaque neceſſitatibus et honeſtiori conditioni vt conſulere poſſem, eo potiſſimum conſilio primam partem *Otiorum* meorum *ruſticorum* edidi, eamque ſummo Regis ſenatui ſacro Berolinenſi dicaui, vt, ſi forte me dignum iudicaret, locupletiori me donaret munere: atque etiam gratioſiſſimum reſcriptum inde retuli. Ceterum continet hic liber, qui ſenſim in quinque volumina excreuit, commentationes varii generis miſcellaneas, ad religionis doctrinam, literas elegantiores, rem ſcholaſticam et hiſtoriam naturalem pertinentes; neque illae diſplicuerunt aequis cenſoribus. Optimis equidem accenſeo has, quae bona conſilia promittunt, inueteratam barbariem ex agris propellendi, ruricolasque et religione et alia ſanbri diſciplina reddendi felices. Eſt etiam particula quaedam in demonſtrandis et diiudicandis florum venuſtatibus occupata; vnde, quum hoc ſtudio curas et ſollicitudines meas lenirem, eiusque amore ſenſim ita tenerer, vt in artis quamdam formam redigere tentarem hanc florum notitiam, ortus eſt peculiaris libellus, (*Aeſtheticam florum* appellaui) qui mihi multorum bonorum, ſuauiſſimaeque Florae cultorum, amicitiam conciliauit.

Data mihi ſunt ſenſim et alia ad ſcribendum incitamenta. Sic, quum vicinam domicilio meo academiam Goettingenſem fere quotannis animi cauſa inuiſerem, et lectionibus meritiſſimorum virorum, *Leſſii*, *Walchii*, *Milleri* et *Michaelis*, intereſſem, ſaepeque cum illis de praeſenti reipublicae ſacrae ſtatu ſermones conferrem; libellus natus eſt, quem latine ſcriptum edidi, et infra

infra nuncupabo. Nec poſſum ſatis laudare magni *Kaeſtneri* in me humanitatem, qui honore ſodalitii in regia ſocietate Teutonica me ornabat, praelecto in ea ſermone meo *de vegetatione plantarum.* Aucto magis numero liberorum meorum, quorum magiſter ipſe fui, animos eorum a teneris occupare decreui vtilium rerum ſcientia, ne torpeſcerent et hebetarentur, et edidi *praeceptoris domeſtici* inſtitutiones, quo libro ſimul aliis parentibus, qui bene de pignoribus ſuis mereri meaque methodo in illorum erudiendorum pro captu aetatis opera vti vellent, ducem ſuaſoremque me obtuli. Et quum reditus muneris mei admodum tenues nondum ſufficerent mihi ad rem familiarem, ſcholam domeſticam aperui, atque iuuenes quosdam honeſto loco natos iuxta cum filiis meis literarum humaniorum initia docui, eosque ſimul ad propius cognoſcendam rerum naturam adduxi, quae occaſio fuit edendi *Phyſicam in vſum ſcholarum.* Hic liber celeberrimo Abbati Saganenſi, *Felbigero*, innotuit, atque ab illo inter didactica ſcholarum normalium inſtrumenta receptus eſt; ſed quia breuior erat, et perpetuo docentis commentario indigebat, poſtea explicatiorem vulgaui.

Anno MDCCLXIX collata eſt mihi parochia trium pagorum Hohenſteinienſium, Trebrae, Grazungae et Blidungae. Antequam hoc munus aggrediebar, iter Halam feci, atque mecum portaui *ſermonum ſacrorum* faſciculum, *hominibus ruri agentibus deſtinatorum:* quo in genere equidem primum tentamen feciſſe videor, vſu edoctus meo, longe alia et oratione et methodo opus eſſe in iſta hominum claſſe, quam in alia quapiam, bene et feliciter monenda, exhortanda et corrigenda. Vendidi librum bibliopolae, quo itineris impenſas redipiſcerer. Atque hoc iter multum animo meo gaudii tulit; ſalutabam iterum almam ſtudiorum meorum academicorum nutricem; *Semleri*, *Noeſſelti* et *Klotzii* ſcholas frequentabam; Lipſiam inde me conferebam ibique perquam amice excipiebar a *Gellerto* qui mihi in artium liberalium ſocietate locum dabat; eruditorum ibi et Profeſſorum et Oratorum ſacrorum, *Erneſtii* maxime et *Zollikoferi*, recitationes audiebam, atque ex eorum priuatis colloquiis et fructus et oblectamenti multum lucrabar. In munere iſto nouo quinquennium fere conſumſi. Interea ſemel Hamburgum inuitatus fui ad ſermonem ſacrum ſpeciminis cauſa habendum, quod recuſaui, eccleſias mihi recens concreditas relinquere iniquum ratus. Brunouici autem quum *Rautenbergii* amicitia me commendaſſet eccleſiae Martinianae patronis, hi dicendi coram concione ſua mihi copiam fecerunt; muneri

vero

vero facro, quod ibi vacuefactum erat, alius destinatus, et mihi satis erat, hac occasione in *Ierusalemi*, multorumque virorum doctorum, qui ciuitatem illam isto tempore condecorabant, notitiam et consuetudinem venisse. Paullo post, quum liberae ciuitatis imperialis Muhlhusinae senatus emendatiorem disciplinae formam gymnasio suo meditaretur, et sacrorum in hac ciuitate Praesul, *Reinholdus*, librum desideraret, quo, theologia scholae a religione vitae rite separata, quae homo quisque Christianus, ecclesiae Euangelicae addictus, de doctrina Iesu Christi cognoscere clare posset et probe deberet, facili methodo exponerentur; vt satisfacerem huic desiderio, librum scripsi: *Die Religion eines Evangelischen Christen*, adiuncta demonstratione veritatis eius. Mox et perlecto venerandi *Spaldingii* libro *de destinatione hominis*, visa mihi fuit *destinatio hominis Christiani* aeque diligenter describenda, idque singulari libello tentaui, quem et Illustrissimo Comiti Stolberga-Wernigerodano, tamquam splendido vitae ad hanc normam exigendae exemplo, reuerentiae causa inscripsi.

Anno MDCCLXXIV Osterauicum vocatus sum, vt *Kuhnsio*, ciuitatis huius Pastori et dioeceseos Inspectori, viribus prope exhausto, adiungerer, cuius omnem prouinciam breui post, quum diem suum obiisset, capessiui. Primariam ibi operam collocaui in scholis tam oppidanis quam rusticanis, quae curam sibi meam poscebant, rectius constituendis et proposito fini aptandis. Quod mihi et ansam praebuit, simulato nomine meo *literas supplices* promulgandi *ad Clerum superiorem*, quibus, quid ille ad religionis et morum emendationem conferre possit, modeste atque liberaliter declaraui. Atque in illa dioeceseos meae scholarum cura tutelari sic versari adhuc perrexi, vt quotannis auctumnali tempore, quo scholae redintegrantur, illas, quae et in vrbe et in agris sunt, conueniam, audiam praeceptores, lectiones praeeam et corrigam, si opus fuerit, donec singulae ordine suo procedant. Circa Paschalia vero Catechumenos omnes per hunc meum circulum ecclesiasticum explorandi diligenter, antequam ad confessionem admittantur, tum hortandi ad fidei constantiam et vitae integritatem, precibusque tutelae diuinae commendandi, legem mihi scripsi. Interualla vero meorum negotiorum vel adhuc florum cultura suauiter dispungit; magnamque copiam animaduersionum circa illam, tam in hortulis meis, quam in excursibus, collectarum, publici iuris feci in *relationibus e florum prouinciis*, quarum sex fasciculi prodierunt, immortali Diuo *Ferdinando*, Duci Brunouicensi, a me dicati.

dicati. Is enim et ipſe amoeniſſimam hanc hiſtoriae naturalis partem amabat, meaque in illam ſtudia liberaliter fouebat; quo factum, vt ante quatuordecim fere annos Principis gratioſiſſimi iuſſu in Vecheldenſi illius prope Brunouicum ſeceſſu per dies aliquot commorarer, eiusque colloquiis pariter atque areolis mirifice delectarer. Eodem tempore deuerticulo transiens Helmſtadium, *Beireiſii*, *Henkii*, *Velthuſenii*, et ante biennium vrbem eamdem repetens, *Pottii*, *Sextronis*, aliorumque academiae doctorum beneuolentiam promereri videbar. Nec mediocriter me iuuat *Heſſii*, Tigurini Antiſtitis, erga me humanitas; is enim in numerum ſodalium ſocietatis aſceticae ordinariorum, quorum actis quaedam inſerta ſunt mea, me recepit. Nouiſſima, quam publicaui, ſcriptio epiſtolis conſtat, ad generoſiſſimum *de Rochow* datis, quibus animaduerſiones quasdam meas in librum ab eo ante aliquot annos editum (*Berichtigungen*) comprehendi, quas ille pro ſuo in me fauore et veri amore non indigne tulit.

Coniuge mea, quam ſupra dixi, fato mihi erepta, viduus quinquennium egi, et anno demum ſaeculi LXXV viduam duxi Kühniam, natu Neumanniam, Halenſem, Fridericam Sophiam. At haec etiam anno LXXXVIII. mihi morte praeceſſit. Ex vtroque matrimonio numeroſam prolem cepi; atque ex priori quidem duo filios totidemque filias, nepotes quinque, neptes tres, ex poſteriori filias quatuor habeo ſuperſtites. Filius natu maior, Gottlieb Chriſtophorus Schmahling, ſuſtinet prouinciam conſiliarii regii in cauſis criminalibus, fiſcique cameralis ſimul cognitorem agit Halberſtadii, Syndicum capituli B. M. V. et praefecturarum quarumdam Iuſtitiarium; minor natu, Carolus Otto, praediorum Wulfingerodae et Sollſtadii Adminiſtratorem. Filia primogenita, Friderica Eliſabetha, Lipſio nupſerat, eccleſiae ruſticanae in ditione Hohenſteinienſi Paſtori, iam defuncto; altera matrimonio iuncta adhuc eſt Pfeifero, Syndico Oſterauicenſi.

Talis itaque vitae meae huc vsque, hoc eſt ad annum aetatis meae ſeptuageſimum quartum, ſacri miniſterii quinquageſimum, curſus erat. Vegeta eſt ſenectus mea et valetudo fere iuuenilis; debeo haec bona moderationi et tranquillitati animi, quam ſemper tenere ſtudui, motui corporis modico, abſtinentiae a rebus omnibus, quae placent quidem, ſed nocent, ante omnia vero ſingulari beneficio Dei, omnium bonorum auctoris, cui igitur merito, quidquid mihi ſupereſt virium, per totum vitae, quam adhuc mihi ſeruauerit, ſpatium, conſecrabo.

Libro-

Librorum a me editorum,
tamen recensum hunc addidi:

I. Die Ruhe auf dem Lan
apud eumdem. T. III.
inscribitur: Vermischt
8. ap. Diedrich.

II. Modesta aestimatio r
Theologorum Goetting
drich. 1765. 8.

III. Landpredigten, Halae

IV. Die Religion eines
1772. 8.

V. Naturlehre für Schule

VI. Die erläuterte Natur

VII. Bittschrift an die hö

VIII. Die Bestimmung de

IX. Der Hauslehrer, 178

X. Christliche Predigten
Lips. ap. Crusium, voll.

XI. Nachrichten aus dem
Lips. in bibliopolio eru

XII. Aesthetik der Blume

XIII. Leichenpredigt, ei
Heinrich Ebeling, wel
im 17ten Jahre seines
Wernigerod. 8.

XIV. Briefe an Hrn. Frie
richtigungen desselben,

Praeter haec symbolas qu
(*Hannöversches. Magazin*
das Verhältniss der Acker
ber das Caffetrinken; Vor
Plantagen von Obstbäumen
que ad Brunouicenses: (*E*
lung über die Juden; al.
renburgensis, syllogen q
c. Lehrsätze der Catecheti
sind, ihre Kinder in die S

e editorum, etsi plerosque iam commemoraui, pleniorem
nc addidi:
auf dem Lande, 1767. Gothae apud Meuium, T. II. 1768.
em. T. III. Lipsiae 1772. ap. Hilscherum. T. IV. qui et
Vermischte Schriften, ibid. 1774. et T. V. eod. ibid.
rich.
estimatio recentioris in theologia reformationis, iusto
um Goettingensium iudicio submissa, Goettingae ap. Die-
5. 8.
igten, Halae ap. Curt. 1769. 8.
gion eines evangelischen Christen, Lips. ap. Hilscher.

e für Schulen, vend. Diedrich, Goetting. 1774. 8.
terte Naturlehre für Schulen, Hal. ap. Curt. 1776. 8.
ft an die höhere Geistlichkeit, etc. Lips. 1777. 8.
immung des Christen, 1780. Lips. vend. Crusius 8.
lehrer, 1781. Lips. ap. Hilscher. 8.
e Predigten über die Sonntags - und Fest - Evangelien,
usium, voll. II. 8. 1781.
en aus dem Blumenreiche, particulae VI, Dessau. et
liopolio eruditor. 1784.
der Blumen, Tiguri in bibliopol philantrop. 1786. 12.
predigt, einem frommen Jünglinge aus Goslar, Georg
beling, welcher am 22sten Aug. 1790. zu Osterwiek
Jahre seines Alters vom Gewitter erschlagen worden.
l. 8.
n Hrn. Friedrich Eberhard von Rochow, über die Be-
n desselben, Quedlinb. ap. Ernst. 1794. 8.
ymbolas quasdam dedi ad ephemerides Hannoueranas,
s. Magazin) vt: Ueber die Kunst zu vergessen; Ueber
s der Ackerleute und Tagelöhner gegen einander; Ue-
inken; Vorschlag zu einer Kranken-Casse; Ueber die
Obstbäumen vor den Städten und Dörfern; al. Item-
icenses: (*Braunschweigische Anzeigen*), v. c. Abhand-
Juden; al. Nec minus ad *Zerrenneri*. Inspectoris De-
syllogen quae inscribitur: *Deutscher Schulfreund*, v.
er Catecherik; Vorschläge, wie die Eltern zu bewegen
er in die Schule zu schicken; etc.